AUTHOR: UNGER, ROBERT

TITLE: EPISTOLA DE VARRONE ATACINO..

PLACE: FRIEDLANDAE

DATE: 1861

Master Negative #
91-80081-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Unger, Robert, 1813-
...Epistola de Varrone Atacino... Friedlandae, vendit Barnewitz, 1861.
16 p. 30 cm.

At head of title:...Hermanno Schmidt...gratulatur...Robertus Unger...

Volume of Pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7-2-91 INITIALS Jeannine
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202






Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

VIRO AMPLISSIMO

HERMANNO SCHMIDT

OLIM FRIEDLANDIENSIS

NUNC VITEBERGENSIS GYMNASII DIRECTORI

DIEM AUSPICATISSIMUM

QUO

ANTE HOS VIGINTI QUINQUE ANNOS

AD MODERANDAS RES SCHOLASTICAS ACCESSIT

FAUSTISSIMIS OMINIBUS INSTAURATUM

LIBENS ANIMO GRATULATUR

MEMORIAM LAUDUM ET BENEFACTORUM

QUIBUS PER ANNOS SEX ET DIMIDIUM SCHOLAM

FRIEDLANDIENSEM PRAECLARE JUVIT ATQUE ORNAVIT

GRATISSIMAM TESTIFICATUR

SALUTEM ET INCOLUMITATEM SUCCESSUSQUE

RERUM ET VOTORUM PROSPERRIMOS

PIA MENTE PRECATUR

Robertus Unger

GYMNASII FRIEDLANDIENSIS DIRECTOR.

SUBJUNCTA EST

EPISTOLA DE VARRONE ATACINO.

D. XII. MENS. APRIL. A. MDCCCLXI.

FRIEDLANDIAE

VENDIT G. BARNEWITZ (L. HOFFMANN).

HERMANNO SCHMIDT

D. D. D.

ROBERTUS UNGER.

Aurea quum peteret Grajum delecta juventus
Vellera Thessalico restituenda tholo
Atque rudi Pagasaea ratis deferre meatu
Ausa viros longas sollicitaret aquas:
Qui maris insidias noctisque micantia signa
Et celeris norat flamina amica Noti,
Hagniades **Tiphys**, doctae pia cura Minervae,
Assidua certas praebuit arte vias
Montis et ancipitem citus evasisse ruinam
Jussit pigra soli Plegada jura pati.

Qui postquam Minyas miserando funere raptus
Destituit, subita coepta morante lue,
Ancaeum, clarum Neptuni e sanguine nomen,
Aurigam fati nuntia prora vocat.
Hoc duce Phasiacos pubes irrumpere fines
Fidit et optatum despoliare nemus;
Hoc duce Hyperborei vada caligantia ponti
Effugit et Circes litora nota dolis;
Hoc Scyllaea legit saxa immanemque Charybdim
Et Siculas hiemes Joniasque domat.
Quodsi **Fossiaden** jactat Friedlandia **Tiphyn**,
Tiphyn Spitzneriden Leucorea alta suum,
Tu merito geminae semper memoraberis orae
Ancaeus, fidi fama ministerii.

Hygini locus nondum satis explicatus et emendatus est hic Fab. CLXXVII.:

Callisto, Lycaonis filia, ursa dicitur facta esse ob iram Junonis, quod cum Jove concubuit. Postea Jovis in stellarum numerum retulit, quae Septentrio appellatur. Quod signum loco non movetur neque occidit. Tethys enim, Oceani uxor, nutrix Junonis, prohibet eam in Oceanum occidere. Haec ergo Septentrio major, de qua in Creticis versibus:

Tuque Lycaoniae mutatae semine Nymphae,
Quam gelido raptam de vertice Nonacrinae
Oceano prohibet semper se tingere Tethys,
Ausa suae quia sit quondam succumbere alumnae.

Haec ergo ursa a Graecis 'Ἑλίκη appellatur."

De quo loco non assentior Barthio Adv. X. 20. p. 496. sic existimanti: non in Creticis, sed in Arataeis versibus scribendum existimo. Nam scripserunt Arataea etiam alii, qui ad nos non pervenerunt, inter quos Ovidius quoque. In Ms. Cretaeis legitur" Buntioque eum sequuto p. 133, 17.: Sane versus isti etiam mihi ex scriptore quodam, qui Aratum in Latinum sermonem verterat, huc translati esse videntur. Melius tamen mea sententia sic legeretur: in .... Arateis versibus. Nam, ni prorsus fallor, auctoris nomen excidit. Quisnam autem fuerit auctor horum versuum, nescio. Ex Phaenomenis Ciceronis nonnulla profert Hyg. c. 14., ubi de Argo navi loquitur —." Qui quidem si cognitum habuisset, quibus literis aut notatum sit aut involutum lateat in aliquot locis nomen Ciceronis (de qua re in Cinnae commentariis Fragm. XIX. non minore cura expediemus, quam de Arateorum auctoribus Explic. Fragm. XV.), hoc igitur si cognitum habuisset, futurum omnino fuit, ut illos versus Ciceronis esse affirmaret. Nimirum doctum hominem hoc quoque fugerat et orationis formam illam: Tuque Lycaoniae mutatae e semine nymphae" et ipsam narrationem fabulae ejus, qua Arcton Tethys Oceano fertur prohibere ausam quondam succumbere alumnae, vel maxime abhorrere a similitudine ejus loci, quem ab Arato de Cretaeis, non Maenaliis Arctis perscriptum expressum videmus a Cicerone fragm. V. p. 4., Germanico Phaen. v. 24—47., Avieno v. 101—160. Qua quidem re planissime, ut ego arbitror, perspecta ei fabulae, quam perstrinxerunt Munckerus p. 295. not. 9. Heyniusque in Apollod. III. 8, 2. p. 668. et Schaubachius in Eratosth. Catast. 1. p. 70., intentus maluit Bernhardyus in Eratosth. p. 149. apud Hyginum scribi: de qua in Eratosthenicis versibus." Quam sententiam, id quod fugit Buntium, Meyerus Anth. Lat. 78. Annott. p. 33. ingressus est firmare hac argumentatione: In poemate Eratosthenis, quod Mercurius inscriptus est, Mercurius coelum ascendisse ibique sonos astrorum musicos fuisse admiratus narratur, tum stellas constituisse, tum menses primum instituisse et pervidisse siderum cursus, ut Bernhardy in Eratosthenicis p. 110. scribit. Cum deinde idem vir doctus p. 149. suspicetur, in Hygini fabula 177. quattuor versus ex Eratosthenis Mercurio in latinum sermonem conversos afferri, non abhorrere videtur a veritate, si quis conjiciat hos versus ex Varronis Chorographia esse sumptos." Qui cum aliqua probabili conjectura et ratione disseruisse sic posset videri, si aut Eratosthenicos versus recte dici Eratosthenis carmen et carmen Mercurium in confesso

esset aut ipse verba illa: in Eratosthenicis versibus ad hanc speciem: in Eratosthenis Mercurio revocanda censuisset. Ceterum alia, quibus ei argumentationi occurrendum est, infra expromendi locus erit. Consideratius autem, quam Buntius, etiam illi, qui „incerti poetae, qui Cretica scripsit, versus eos esse" existimarunt, Munckerus et, quos non nominavit Buntius, Cerda in Virg. Georg. I. 246. p. 243. a. B. Ursinus Virg. Illustr. p. 116. Lindenbrogius in Lactant. Obss. Var. Lectt. p. 724. b. B. Nicolaus Loensis Misc. Epiph. III. 10. p. 355. Ger. Vossius de Art. Gramm. II. 33. p. 236. Burmannus in Lotich. Eleg. II 5, 36. p. 127. Quamquam huic sententiae vel illud vehementissime refragatur atque obstat, quod Cretica carmina, ut Cypria, Naxiaca (Meurs. Cypr. I. 1. p. 2., qui de Hygini loco non commemoravit Cret. 1. p. 2. sq., et Muncker. in Hyg. Poet. Astr. I. 1. p. 421.) recte dici intelligimus, Creticos versus non item. Quae quum ita sint, majora molienda sunt. Consideranti autem et orationis formam hancce: Tuque Lycaoniae mutatae e semine nymphae" solemnem illam catalogorum, quos vocant, qualiumcunque scriptoribus et narrandi modum, quo ad propositam herois Lycaonio semine orti memoriam subjicitur fabula, quae est de Junonis pellice Oceanum subire vetita, non dubie emergit tantum abesse ut „apostrophen ad Arctophylacem instituì" Munckerus Heinsiusque recte sumpserint, ut Ancaeum Arcadem, quem „Lycaoniae nymphae semine ortum" fuisse constat (Burmann. Catal. Argonaut. v. Ancaeus [p. VIII.] Heyn. in Apollod. p. 1025.), illo loco narratum intelligi verum sit. Quid multa? versus lepidissimos, ut visum est Ursino, et elegantissimos, ut Nicolao Loensi, jam affirmo repetitos esse ex Argonauticis Varronis Atacini subtiliore cura complexi eam memoriam, quam his prodidit Apollonius Rhodius I. 146:

Ἀγκαῖος, τὸν μέν ῥα πατὴρ Λυκόοργος ἔπεμπε —·
Βῆ δ' ὅ γε Μαιναλίης ἄρκτον δέρος ἀμφίτομόν τε
Δεξιτερῇ πάλλων πέλεκυν μέγαν

conf. II. 118.: *Καὶ τότ' ἄρ' Ἀγκαῖος Λυκοόργοιο θρασὺς υἱὸς Αἶψα μάλα τεταγὼν πέλεκυν μέγαν ἠδὲ κελαινὸν Ἄρκτου προσχόμενος σκαιῇ δέρος, ἔνθορε μέσσῳ Ἐμμεμαὼς Βέβρυξιν* et auctor Orph. Argon. 196: *Ἀγκαῖον δ' ἀν' ὅμιλον ἀπ' Ἀρκαδίης πολυμήλου Πέμψε πατήρ — Οὗτος δ' οὔποτε χλαῖναν ἐπὶ στιβαροῖς βάλεν ὤμοις, Ἀλλ' ἄρκτου λάσιον στέρνοις ἀμπίσχετο δέρμα* (conf. Stat. Theb. IV. 304.: Arcades hi —. Arcadii morem tenet ille galeri: Ille Lycaoniae rictu caput asperat ursae").

Et manent satis expressa vocum hic olim perscriptarum: in Argonauticis Varronis vestigia literae illae: in greticis versibus. Nam, ut pauca ejus generis, quod tractavimus Valg. p. 341. 503., delibem exempla, et Geticas pro Creticas apud Scholiastam Juvenal. XIV. 271. scriptum esse non solum Pithoeus, de quo Cramerus commemoravit p. 531., verum etiam Meursius Cret. I. 3. p. 74. verissime obtinuit et cratulo in Riccardiano codice Plin. Nat. Hist. I. p. 21. factum est, quod fuerat Gracili. Varronis autem nomen constat saepe confusum esse cum voce Vero (ut apud Tertullian. Apol. 10.: Cassius Severus legitur, apud Lactantium vero Inst. I. 13, 8. Cassius et Varro conf. G. Wolff. Philol. XVI. p. 529) et Verg (ilio), ut in iis locis, quos proposuimus Valg. p. 209. not. 15.; quo accedit, quod nihil umquam frequentius illo fuit errore, quo versibus pro versis est proditum vid. Drakenborch. in Liv. XXII. 8, 7. p. 62. T. VII. Anal. Prop. cap. XI. p. 77. Tam foedam autem illorum nominum depravationem non mirum est extitisse in eo capite, in quo inesse partes confuse et permixte jam olim dispersas declarant illa verba: Jovis in stellarum numerum retulit, quae Septentrio appellatur, quod signum loco non movetur neque occidit. Tethys enim Oceani uxor, nutrix Junonis, prohibet eam in Oceanum occidere. Haec ergo septentrio major, de qua in Argonauticis Varronis ... Haec igitur ursa a Graecis *Ἑλίκη* appellatur: haec habet stellas in capite septem —" (conf.

Theon. Schol. Arat. 27. p. 54, 31. et Eratosth. Catast. 1.) et ipsa spectata et cum Lactantii loco, quem Hygini verbis mire congruere nec Bodius in Mythogr. p. 86. sqq. Nott. Critt. nec Staverenius aut Buntius animadvertit, comparata. Sic enim est in Stat. Theb. III. 685. p. 155. A.: Jupiter — inter sidera retulit —. Illa *Ἄρκτος μείζων*, latine Septentrio major appellatur. Quod signum loco non movetur neque mergitur. Thetis enim uxor Oceani nutrix Junonis fuit, quae propter

is

affectum nutritae (nutricae cod. Monac. form. quat.) eam prohibet in Oceanum cadere, unde Virgilius: Arctos Oceani metuentes aequore tingi", quae in altero codice Monacensi, qui est forma maxima, inveni sic scripta: Illa Arctos mizon — nutrix Junonis fuit; indignatam autem Juno, quod Juppiter pelicem suam in siderum numerum retulisset rogavit Thetin nutricem suam deam maris ne umquam pateretur eas occidere. Unde Virgilius —". Ut utriusque codicis vel Lactantii ac Servii, de quo ne Bodius quidem commemoravit, in Virg. Georg. I. 246. p. 208. sive Gaudentii Schol. Bern. p. 30.: Nam hae duae pellices Junonis fuisse dicuntur: quas postquam Juppiter in siderum retulit numerum (in sidera retulit" Bern.), Juno rogavit Tethyn suam nutricem, ne umquam eas (om. Bern.) pateretur occidere. Unde nunc metuentes dixit scilicet nutricem Junonis" memoriam jam agnoscamus conflatam a Mythographo II. 58. 59. p. 94, 7.: illa Arctos *μείζων*, latine septentrio major appellatur; quod signum loco non movetur nec hac, quam dicturus sum, causa mergitur. Thetis enim filia Nerei, uxor Oceani, nutrix Junonis fuit. Quam Juno indignata pellicem suam in coelum translatam rogavit, ut propter affectum nutricis eam prohiberet in oceanum cadere." Quorum locorum contentione facta illud apparet veteres grammaticos tralaticia quadam de Junonis ira usos esse narratione in hunc modum proposita, ut et Varronis Atacini et Virgilii commemoratio auctoritatem afferret. Et ad Varronis quidem testimonium spectavit idem Hyginus Poet. Astr. I. 1. p. 421.: Qui volunt aliqua de caussa esse institutum (ut id signum non occidat), negant Tethyn Oceani uxorem id recipere, cum reliqua sidera eo perveniant in occasum, quod Tethys Junonis sit nutrix, cui Callisto subcubuerit (succubuerat Murmell. in Boeth. de Cons. Phil. IV. Metr. VI. p. 1057. B.), ut pellex", quae verba referunt ipsum illum Varronis locum, cui parem et similem alterum nemo eorum indagavit, qui data opera de voce succuba quaesiverunt (Heins. in Ovid. Her. VI. 153. p. 87. Muncker. in Hygin. fab. 1. d. Nicolaus Loensis l. d. Elmenhorst. in Apul. II. p. 716. Cang. Gloss. I. p. 184. conf. Gloss. Amplon. p. 365. n. 419.: Pellex, rivalis, succuba." Gloss. Lat. Paris. p. 235, 110.: pelix, rivalis, subcuba"). Hygino autem subjungere jam commodum est Lactantium (qui quidem Junoni non Thethyn solam, id quod Ovidius Fast. II. 191. et omnes dicunt, sed etiam Oceanum obsequutum esse scripsit de sententia et auctoritate ejusdem Ovidii Met. II. 509—530.) Narr. Fab. II. 6. p. 797. sq.: a nostris septemtrio nuncupatur et a Tethy et Oceano ob Junonis iram inter cetera sidera liquore non tingitur, ut auctor Hesiodus indicat vel alii: sed lucet in astris Callisto renovatque suos sine fluctibus ignes." Ubi vitii manifestae sunt voces vel alii. Quas qui audacissime sic correxerunt: Hinc illud, Rainerius et Giselinus non viderunt ipsam Lactantii consuetudinem hoc flagitare, ut haec ejus loci designetur descriptio (quae inchoata est in ed. Col.: aequore prohibetur, ut auctor est Hesiodus"): ob Junonis iram — liquore non tingitur, ut auctor est Hesiodus. Indicat (vel alii)" vid. Lactant. II. 4. p. 797.: Phanocles in Cupidinibus auctor. 2. p. 796.: lacrimae earum, ut Hesiodus et Euripides indicant, in electrum sunt conversae." IV. 8. p. 811.: virgam — extulit, quae turca appellatur. Hoc Hesiodus indicat" conf. XIII. 3. p. 874.: ut Hesiodus

vult. XI. 4. p. 864.: sic enim cum Hesiodo consentit Ovidius" (unde evidens est nullum omnino locum esse conjecturae de Euphorionis Hesiodo faciendae in hunc fere modum: ut Euphorio in Hesiodo indicat" conf. Subsiciv. nostr. III. p. 725. Philol. 1850). Jam quod vocum vel et vero notae, quas proposuimus Valg. p. 185. et Quaest. de Lucani Heliacis IV. p. 11., tam tenui separatae sunt discrimine, ut voculam vel facillime in locum vocis vero successisse intelligatur, dubitandum videtur esse, an eum versum, quem nec Munckerus aut Staverenius ac Burmannus in Ovid. Met. p. 122. habuerunt unde sumptum dicerent, nec attigerunt, quorum commentaria evolvere succurrit, Menagius in Diog. Laert. VII. 145. p. 209. Fabricius in Sext. Empir. IX. 73. p. 560. Barthius in Stat. Theb. III. 685. p. 861. Murmellius in Boeth. l. d. Cortius in Lucan. III. 251. p. 351. Ciofanus et Burmannus in Ovid. Met. II. 173. p. 105. Drakenborchius in Sil. Ital. VII. 639. p. 384. Schraderus in Mus. 314. p. 71. Rupertius in Juvenal. V. p. 112., statuamus esse Varronis Atacini (vero alii): auctor est Hesiodus. Indicat (sive mavis: unde ait) Varro Atacinus: sed fulget in astris Callisto renovatque suos sine fluctibus ignes." Quod enim literas alii voluimus esse atic (atac), id nihil dubitationis habere licet vel Burmanni exemplo comprobare, a quo „in Heinsii notis permutata esse Vatic. et V alii" docuit Merkelius in Ovid. Trist. I. 8, 41. p. 62. et Praef. p. XII. Varronis Atacini autem nomen reparandi aliquanto tutius consilium est, quam devertendi ad mentionem Gaetulici, quem hujus versus auctorem novimus: Sicca Lycaonius resupinat plaustra Bootes" (Prob. in Virg. Georg. I. 227. p. 38, 16. Bernhardy. Hist. Litt. Rom. p. 513. not. 476.) conf. Joann. Gaz. 186. p. 104: δρόμος ἀζαλέης — ἁμάξης. Nonn. XXIII. 295. p. 618, 14. ἄβροχον ὁλκὸν ἁμάξης. Boeth. IV. 6, 8.: Nec — Ursa — Numquam occiduo lota profundo — Cupit Oceano tingere flammas." Quid, quod ex eo ipso loco, unde decerptos Hyginus versus quattuor attulit, petisse videtur Lactantius illa, quae in medio proposuimus, verba? Nam tanta argumenti est opportunitas et quasi cognatio, ut subito impetu hos versus comminisci libeat:

Tuque Lycaoniae mutatae e semine nymphae,
(Quam gelido raptam de vertice Nonacrinae
Oceano prohibet semper se tingere Tethys,
Ausa suae quia sit quondam succumbere alumnae;
Illa quidem pontum invidit, sed fulget in astris
Callisto renovatque suos sine fluctibus ignes)
Tu quoque ades, gentile decus cui Maenalis ursa
Terga tegit dextramque armat gravis aere bipennis,
Ancaeus.

Quamquam non deerunt, quibus Varro videatur sive in Chorographia sive in Arateo carmine (simili instituto atque Germanicus Arat. Phaen. 63: „Oceani tumidis ignotae fluctibus Arcti, Semper inocciduis servantes ignibus axem") Arcton maris immunem commemorasse his: sed fulget in astris Callisto renovatque suos sine fluctibus ignes, in Argonauticis Hesiodum, Eoearum scriptorem, ut Ovidius Met. II. 526. et Fast. II. 191., fortasse etiam Callimachus fragm. 385. p. 297. Blomf., sequutus Junonis iram narrasse iis versibus, de quibus jam explicatius dicendum est. Sunt autem hi:

Tuque Lycaoniae mutatae semine nymphae,
Quam gelido raptam de vertice Nonacrinae
Oceano prohibet semper se tingere Tethys,
Ausa suae quia sit quondam subcumbere alumnae.

Posui verba, uti leguntur scripta in Staverení exemplo, a quo quid doctorum hominum sententia discrepet, dicam breviter. V. 1. mutata Ursin. mutato Cerd. Nicol. Loens. mutata e Scheff., ut ipsa Helice dicatur. mutatae Voss. Staver. Bunt. mutatae semina Bernhardy. Meyer. mutatae e Munck. mutate e Heins. — V. 2. Nonacrino Munck. Bunt. — V. 3. tinguere Burm. Thetis Ursin. Nicol. Loens. alii. Tethys Munck. Staver. Bunt., quod ante eos restitui jussit Vossius ea de caussa collaudatus Burmanno in Lotich. l. d.; quamquam quid verum esset, ne Cerdam quidem (Tethis) aut Barthium (Thetys) fugerat. — V. 4. quod sit Bernh. Meyer. Et de primo quidem versu sic expedio, ut fortius jam affirmem eam ipsam sententiam repudiandam esse, quae tot doctorum consensu sola est frequens. Nam Tethyos illud officium non in Arctophylacis, sed in ipsius Helices mentione ea, qua videmus, ratione narrandum fuisse vel leviter moniti concedent cum omnes, tum ii, qui „in poemate Eratosthenis Mercurium coelum adscendisse ibique — pervidisse siderum cursus" — obtinuerunt. Accedit, quod ipsae voces Lycaonio mutatae e semine nymphae videntur satis perspicuum facere non Callistus filium hic dici, sed aliquem ex ejus stirpe prognatum. Ut consentaneum sit et Ancaeum intelligi et hoc scribendi genus probari: Tuque Lycaonio mutatae e semine nymphae," ut apud Virgilium est Aen. VII. 706.: Sabinorum prisco de sanguine — Clausus" et Valerium Flaccum VI. 137.: Jovis et Cadmi de sanguine Bacchum" et Silium Italicum VIII. 414.: Ecce inter primos Therapnaeo a sanguine Clausi Exsultat rapidis Nero non imitabilis ausis" et XII. 393: Ennius antiqua Messapi ab origine regis Miscebat primas acies" (quibus addere libet Virg. Aen. VII. 281.: geminosque jugales Semine ab aetherio, spirantes naribus ignem, Illorum de gente, patri quos daedala Circe Supposita de matre nothos furata creavit," ad cujus loci fidem exigendum esse versum Hosidii Getae Medeae 225: juvencos Seminaque et tauros spirantes naribus ignem Objeci" nec Burmannus p. 165. vidit nec Meyerus Annott. I. p. 99.); nam ne illud quidem „mutatae semina nymphae" reprehensione caret (conf. Senec. Herc. Fur. 987: proles regis inimici latet, Lyci nefandum semen" Vorst. in Sulpic. Sever. Hist. Sacr. I. 37, 4. p. 124.), Schefferus autem Helices memoriam inchoandam esse arbitratus tamen quarti versus mutationem reliquam fecit hanc: Ausa suae quia sis quondam succumbere alumnae." Ceterum propter ipsum illud Schefferi institutum suspicari licet inde, quod apud Ovidium idem, quod apud Senecam l. d., legimus Met. I. 748: Epaphus magni genitus de semine tandem Creditur esse Jovis," ab eodem autem scriptum iuvenimus Met. V. 85: Inde Semiramio Polydaemona sanguine cretum" et ab Valerio Flacco V. 267.: frater materno sanguine Perses" conf. Erythr. Ind. Virg. v. sanguis meus, dubitaturos nonnullos esse, an versum illum sic corrigi verum sit: Lycaonio mutatae e sanguine nymphae vel (ut apud Ovid. Met. I. 162.: e sanguine natos. cod. Heins. a sanguine conf. Virg. IV. 230. V. 45. VI. 500.: genus alto a sanguine Teucri") mutatae a sanguine;" quod ipsum vocabulum frequentius alteri nocuisse docet Ovidii locus Met. I. 748: genitus de semine. Argent. sanguine et quos attulerunt Oudendorpius in Lucan. IV. 549. p. 308. et Burmannus in Anth. Lat. I. 178, 225. p. 165. Quae opinio quominus assensu comprobetur, obstat atque impedit vel Ovidii is versus, in quo est „esse satum Nereide" Met. XII. 93; nec enim jam vacat pluribus illud dicendi genus enarrare, quod cernitur apud Silium Italicum VI. 635: regia virgo — Fabium — Procreat "atque Hyginum Poet. Astr. I. 1.: Callisto — procreavit Arcada" et Rufin. Pasiph. v. 20. p. 395. Wernsd. Poet. Lat. Min. III.: Filia solis — procreat bimembrem "et iis locis, quos in altera epistola ad Ritschelium data adhibuimus Granio Liciniano XXXV. p. 36, 10. sic corrigendo: quem uxor Aristonoe legitimum procrearat."

Proximum hoc est, ut de nomine Nonacrinae absolvamus. Quod nomen non repudiatum a Cerda, Ursino, Vossio, defensum ab Nicolao Loensi his, quae placuerunt Staverено in Lactant. Narr.

Fab. I. 12. p. 794.: „subaudiendum est petrae seu rupis," ab Munckero Buntioque in hanc speciem mutatum: de vertice Nonacrino, id Alexandrinorum potissimum poetarum exemplo dictum esse arbitror. Quemadmodum enim Amantiam (Bachmann. in Lycophr. 1043. p. 218) Callimachus dixit Amantinen Steph. Byz. p. 82, 23.: *Ἀμαντία Ἰλλυριῶν μοῖρα, πλησίον Ὠρικοῦ καὶ Κερκύρας· — Καλλίμαχος Ἀμαντίνην αὐτήν φησι, ἧς τὸ κτητικὸν Ἀμαντινική* et p. 4, 2. (fragm. CCLIX. p. 273): *Καλλίμαχος δὲ Ἀμαντίνην, ὡς Λεοντίνην, αὐτὴν ἔφη· οἳ καὶ Ἀμαντίνην ᾤκισαν Ὠρικίην*, ita Nonacrin sive Nonacriam (*Νώνακρις* Rhian. p. 185. Mein. conf. Gloss. Planud. Met. p. 38. *Νονάκρη πόλις Ἀρκαδίας ἀπὸ Νονάκρης γυναικὸς Λυκάονος.* Siebelis. in Pausan. VIII. 17, 5. p. 254. Vol. III. Vitruv. VIII. 3.: Est in Arcadia Nonacris nominata terrae regio" conf. Havercamp. in Lucret. VI. 747. p. 537. Lactant. in Stat. Theb. IV. 294. p. 178. C.: Nonacria, ut Trinacria. Est autem nomen loci vel agri Arcadiae, in quo Jupiter in speciem Dianae versus cum Callistone Lycaonis filia concubuisse narratur") licuit appellare nomine Nonacrinae conf. Theb. Paradox. Coroll. IV. p. 359. sqq. Qua eadem ratione usurpari videmus nomina *Βιβλία* et *Βιβλίνη* (Holsten. in Steph. Byz. p. 66. sq. conf. Boisson. Anecd. I. p. 241), *Κεστρία* (quod in Stephani Thesauro omissum legimus apud Scylacem Peripl. 23., de quo diximus Theb. Paradox. Coroll. XVIII. p. 428., et Steph. Byz. p. 638, 19. conf. Serv. in Virg. Aen. III. 334. p. 216. Plin. Nat. Hist. IV. 1, 1. p. 272) et *Κεστρίνη* (Thucyd. I. 46. Pausan. II. 23, 6.), Plistia et Plistine Gronov. in Liv. IX. 21, 6. p. 182. Plistina cod. Haverc. 22, 1. p. 184., quae praetermisit Lobeckius Pathol. Diss. IV. p. 216. sqq. Heinsius quidem in Ovid. Her. VI. 103. p. 81. non dubitavit haec componere: „Adrastine, Nonacrine, Euenine et similia; quod etiam in nominibus obtinet civitatum: sic Elephantine in Aethiopia civitas, quam Vitruvius et Mela Elephantidem. Insula Aethiopiae Daphnis Plinio et Ptolemaeo est Daphnine." Conf. Ovid. Met. II. 409.: in virgine Nonacrina" (quae verba sic consignata extant in Monacc codicibus Lactantii in Theb. l. d.: virginem Nonagrianam") et I. 690: Hamadryadas — Nonacrinas," quum *Νωνακρίνη* legatur apud Suidam p. 1016, 11. T. II.: *Νωνακρίνη λέγεται ἡ Καλλιστώ* „nomen aevo Alexandrino haud indignum" (Bernhardy. p. 1016.), de quo loco commemorare nos fugerat Anal. Prop. III. p. 14. Itaque Varronis orationem: gelido de vertice Nonacrinae intelligitur similem esse Ovidio Met. I. 689.: Arcadiae gelidis sub montibus — Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas Naias una fuit" et Catullo LXIII. 71: vitam agam sub altis Phrygiae columinibus" et Statio Silv. IV. 2, 65: Trojanae qualis sub collibus Albae" conf. Anth. Lat. I. 25, 4: Vertice de Nysae." Lucan. IX. 972: Adspicit — quo vertice Nais Luserit Oenone." Valer. Flacc. I. 406: haec aliis excelsior hastis, Quantum Peliacas in vertice vicerat ornos." Senec. Herc. Fur. 80: Siculi verticis laxa specum." Quod autem Nicolaus Loensis hoc addidit: gelidum Nonacrinae verticem petram illam stygis aquam exstillantem recte videtur (is scriptor) appellasse," id doctius et subtilius, quam verius dictum esse et Ovidius Met. I. modo d. conf. VI. 88: Rhodopen — et Haemon Nunc gelidos montes" declarat et Virgilius Aen. VIII. 139: quem candida Maja Cyllenae gelido conceptum vertice fudit" (conf. Sil. Ital. III. 203: gelidis almae Cyllenes editus antris." Virg. Georg. IV. 509: Rupe sub aeria — Flevisse et gelidis haec evolvisse sub antris") et Ecl. IX. 15: Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei," de quo vid. Barth. in Stat. Theb. IV. 250. p. 986. sq.

Quod restat, dicendi forma illa: Tuque Lycaonio mutatae e semine nymphae" frequentissime in eo locorum genere, quod supra designavi, usurpari a poetis solita est Virg. Aen. X. 139. 324. XII. 542. Valer. Flacc. I. 380. 391. Stat. Theb. IV. 246. VII. 340. Sil. Ital. IV. 637. Scit hoc Baptista Pius Orphei Argonautica interpretatus v. 140. p. 727. Burm.: Phylaci genus affuit una Tuque etiam Aeneade Phoeboque simillime Butes." Nec illud quidem alienum est commemorare Apollonii versum IV. 597: *Ἔνθα ποτ αἰθαλόεντι τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ Ἡμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος Ἠελίοιο·* (id quod primum animadvertisse Hemsterhusium in Lucian. Dial. Deor. XXV. 3. p. 330. Vol. II. et alii ignorant et Wernsdorfius Poet. Lat. Min. T. V. 3. p. 1414 conf. Quaest. de Lucani Heliac. IV. p. 12) a Varrone sic expressum esse: Cum (cod. Bern. al. tum; fort. qua) te flagranti dejectum fulmine, Phaethon." Quoniam autem eadem stirpe Ancaeum atque Alcidamantem et Cepheum prognatos fuisse constat, libet jam eos versus, quos explicavimus, medios interserere hisce:

Tuque Lycaonio mutatae e semine nymphae —
Tu venis, Alcidama, divina stirpe superbe
Teque simul Cepheus Alei venit altera proles.

Ut tamen non dissimulem alteram suppeditare versus illos Varroni reddendi rationem. Qui versus quum ipsius Hygini orationi inserti legantur: quicunque literas in et tu (Drakenborch. in Liv. XII. 21, 1. p. 176. T. I. P. II. et X. 40, 11. p. 296. T. V.) cum nota ternarii numeri saepissime confusas esse recordatus fuerit (vid. Quaest. de Lucani Carm. Reliq. cap. II. p. 18. add. Priscian. V. p. 145, 25: Statius in libro Thebaidos." cod. Bong. id est: III. libro), facile concedet potuisse in eam, quam nunc cernimus, speciem: tuque vertere id, quod fuerat tresque. Quo ipso parumper suscepto quasi aemulatus Balbum in Valer. Flacc. I. 376. p. 81. sq. jam universum Apollonii locum I. 161—172 proponam, qualem in Varronis Argonauticis extitisse suspicari licet:

Deinde Periclymenus venit, Neleia proles —.
Tresque Lycaonio mutatae e semine nymphae,
Quam gelido raptam de vertice Nonacrinae
Oceano prohibet semper se tingere Tethys,
Ausa suae quia sit quondam succumbere alumnae —
Illa quidem invidisse velit; sed fulget in astris
Callisto renovatque suos sine fluctibus ignes —:
Hujus venerunt antiqua ab origine clari
Alcidamas Cepheusque, Alei de sanguine fratres,
Qui Tegeen et Aphidanti sortita colebant
Rura. Puer sequitur quos tertius Arcas euntes
Ancaeus patris imperiis missuque Lycurgi,
Amborum qui frater erat maturior annis
Quumque Alei solans senium remaneret in urbe
Ipse, suam subolem comitem consortibus addit.
Ergo ibat, gentilis honos cui Maenalis ursa
Terga tegit dextramque armat gravis aere bipennis.
Quippe avus obscuris thoraca atque arma latebris
Abdiderat, si posset iter retinere parantem.

Quae si quis probabiliter scripta dubitationis tamen aliquid dicet habere propterea, quod Apollonii carmini nonnulla adjunxisse Varro existimetur, fatentem arguet. Neque enim ignoro de Probi loco Georg. II. 126. p. 48, 18.: Pars Parthorum Media est appellata a Medo, filio Medeae et Aegei, ut existimat Varro, qui quattuor libros de Argonautis edidit" aliter atque

Ruhnkenium Epist. Crit. II. p. 201: „Tale quid cum nec dixerit Apollonius nec per operis sui rationem dicere potuerit, id a Varrone additum existimari debet“ (conf. Tzetz. in Lycophr. 175. p. 442.) sentire et Wernsdorfium p. 1409 haec argumentatum: in Chorographia haec Varronem tradidisse existimo —; quippe etiam Dionysius Perieg. v. 1020. sq. et ex eo Avienus v. 1217 sqq. hanc de Medorum ortu a Medea opinionem protulit et Probus, ubi Varronem auctorem Argonauticorum appellat, non librum, ubi ista dixerit, indicat, sed auctorem tantum a praecipuo suo opere describit, ut ab altero Varrone distinguat“ et doctos Bipontinos, qui Reatini Varronis illa verba esse voluerunt Fragm. p. 322. persuaseruntque Bernhardyo in Dionys. Perieg. 1020. p. 801. Quid vero? indignane novo poeta fuit illa cura exspatiandi in eam partem, unde heroum Callistus et Jovis sanguine prognatorum gloria non dubie quaereretur? nec in ullo ponendum est discrimine, quod in aliis locis ipsum Apollonium, in aliis Varronem Probus citat auctorem? An laudabiliter fecisse censendi sunt illi, qui Arati carmen copiosius et ornatius explicatum esse sive ab Varrone sive ab alio poeta defenderunt, is autem non carere videbitur reprehensione, qui Apollonii Argonautica ab Varrone non translata modo, sed idonea incrementorum quorundam accessione novata atque illustrata esse dixerit? Nunc quidem labore versibus, quos Hyginus prodidit, in noto carmine locum inveniendi et capiendi certe non omnino inutili perfungi maluimus, quam in eam nos conjicere latebram, quam Meyero praebuit incomperta forma libri de Eratosthenis (sic enim creditur) opere expressi conf. Merkel. Prolus. ad Ovid. Ib. cap. II. p. 361. Quod exemplum sequi si libuisset, licuit vel hoc ponere: extitisse praeter Leucadiam Varronis, ne jam Heroica (sive heroicam genealogiam, quam quidam vocant) comminiscar, Erotica — parum enim differunt inter se haec: in creticis et in eroticis conf. Anal. Prop. III. p. 15. —, Erotica autem et nominibus Clymenes et Auges et Atalantae Callistus semine prognatarum et delectu aliarum fabularum, quas Hesiodum illo Eoearum carmine complexum esse scimus, fuisse distincta. Verum nolo plura de loco difficili ac lubrico argumentari eoque minus, quod Wuellneri et Bergkii libelli quamvis multa agitanti, dum haec properantur, mihi in hoc terrarum angulo nondum visi sunt. Nec doceo, quid sit verum, sed admoneo viros cum de omnibus graecorum carminum interpretibus tum de Atacino Varrone quam verissime explicaturos: modo videar eos versus, qui sunt apud Hyginum et Lactantium, et accuratius enarrasse et ad Varronem auctorem recte retulisse.

Pergo ad certiora. Leguntur enim in Scholiis Virgilii Veronensibus haec Aen. II. 82. p. 84, 13: Ex Danao Amymone soror [um L una ex qua genuit] Neptunus Nauplium: hujus Proetus et Proeti [filius fuit] Laernus, cujus Naubolus filius et inde Clytius [ex quo Nauplius] et ex eo Palamedes, de quo nunc Sinon loquitur. Varro Argonautarum primo: Ecce venit Danai multis ..... Namque satus Clytio Laerni, quem Naubolus ex se, Laernum Naupliades Proetus, sed Nauplion edit fil ..... Danaiq .“ . Qui locus quamvis male affectus sit et multis damnis attenuatus atque imminutus, at hoc tamen planum et perspicuum facere visus est Bernhardyo Hist. Litt. Rom. p. 407. not. 363. seriem tot regum ab Apollonio I. 133. institutam satis perite ac scienter redditam esse ab Varrone. Qua autem orationis perpetuitate ille nominum ordo explicatus fuerit, adhuc latet. Nam quae Lionus p. 312. commentus est: Laernum Naupliades, Proetus sed Nauplion edit, Filius huic Palamedes, quem Danai nece perdunt,“ ea et rebus et verbis et numeris fidei prorsus sunt absona. Nec a Keilio quidem inventa sunt, quae vel mediocriter aut Apollonii exemplo congruant aut Varronis consuetudine et ingenio digna videantur esse. Quae enim ab illo scripta sunt supplementa: Ecce venit Danai multis celebrata

propago. Namque satus Clytio Laerni, quem Naubolus ex se, Laernum Naupliades Proetus, sed Nauplion edit filia Amymone Europae Danaique superbi,“ ea primum hanc recipiunt reprehensionem, quod et omissa, qua nihil adjunctius expositae narrationi esse et magis necessarium intelligitur, Neptuni mentione inutiliter subjunctum est Europae nomen et Clytius dicitur, qui est Clytoneus et, id quod maxime mirabile est, in primo versu ipsum illud, quod totum locum continet, Nauplii vocabulum nusquam apparet. Quis autem tulerit illud: Danai — celebrata propago. Namque satus?“ et hoc: Clytio Laerni, quem Naubolus ex se, Laernum — Proetus edit (quo praestabilius dicas esse vel hoc: Naubolus ex se Lerno; hunc — Proetus“)? aut probaverit versum his et verbis et modulis factum: filia Amymone Europae Danaique superbi?“ Itaque nos primum hoc pugnamus et Varroni v. 2. reddendum esse nomen Clytonei et Scholiastae Veronensi v. 16: Naubolus filius et inde Clytius“ (apud quem v. 14. utrum sororum L una scribi praestet an pulcherrima, non temere interpreter conf. Lucian. Dial. Mar. VI. 1.: *παρθένος, πάγκαλόν τι χρῆμα· οὐκ οἶδα ἔγωγε καλλίω παῖδα ἰδών —. τοῦ Δαναοῦ ἐκείνου θυγάτηρ, μία τῶν πεντήκοντα καὶ αὐτή, Ἀμυμώνη τοὔνομα* conf. Christodor. *Ἐκφρ.* 61.); deinde hoc defendimus in primo versu locum faciendum esse vocabulo Nauplii sive hac scribendi ratione: Ecce venit Danai demissus Nauplius ortu sive illa: Danai (ge)ne(re) alto Nauplius ortus“ sive tali, qualis est: Gensque venit Danai multum inclyta Nauplius ortu (nam recte dici Nauplium gentem Danai probavit Drakenborchius in Sil. Ital. II. 185. p. 78., multum inclyta Bentlejus in Hor. Carm. I. 25, 5. p. 61. Grunerus in Sedul. Carm. Pasch. II. 170. p. 123). Quid multa? Apollonii versus I. 133: *Τῷ δ' ἔπι δὴ θείοιο κίεν Δαναοῖο γενέθλη Ναύπλιος. ἦ γὰρ ἔην Κλυτονήου Ναυβολίδαο· Ναύβολος αὖ Λέρνου· Λέρνον γε μὲν ἴδμεν ἐόντα Προίτου Ναυπλιάδαο· Ποσειδάωνι δὲ κούρη Πρίν ποτ' Ἀμυμώνη Δαναῒς τέκεν εὐνηθεῖσα Ναύπλιον, ὃς περὶ πάντας ἐκαίνυτο ναυτιλίῃσιν* Varronem arbitror in hunc fere modum interpretatum esse:

Ecce venit Danai demissus Nauplius ortu.
Namque sator Clytoneus erat, quem Naubolus ipse
Lerniades apud Inachias eduxerat undas:
Lernum Naupliades Proetus, sed Nauplion edit
Filia Amymone Danai, Neptunia conjux,
Insignem ante omnes celeres frenare carinas.

In eodem autem Argonauticorum libro videtur positus fuisse is versus, quem proditum invenimus ab Charisio IV. p. 243 (4, 2. p. 161. et p. 162 Lind.): *Μεταφορά* est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem decoris aut necessitatis aut cultus gratia. Haec fit modis quatuor: ab animali ad animale sicut: Tiphyn aurigam celeres fecere carinae ab agitatore ad gubernatorem transtulit. — Metaphorae quaedam sunt communes, quae a Graecis *ἀκόλουθοι* appellantur, ut Tiphyn aurigam celeres fecere carinae, quod quemadmodum in navi auriga dicitur, (ita) et in curru gubernator,“ Diomede II. p. 457, 8 et 26., cujus praecepta cum Charisio concinunt, Donato Art. Gramm. p. 1775 (III. 6, 2. p. 32): Metaphora — ab animali ad animale ut: Tiphyn aurigam celeres fecere carinae; nam et auriga et gubernator animam habent,“ Pompejo Comm. in Donat. de Barbarism. VI. 2. p. 464.: a re animali ad rem animalem, ut est illud: Tiphyn aurigam celeres fecere carinae. Tiphys gubernator erat navis Argus. Iste gubernatorem aurigam dixit, quia quemadmodum ille auriga regit equos, sic iste gubernator regit navem. Ecce a re

animali transtulit ad rem animalem. Et auriga et gubernator animam habent.“ Quibus adjicio, quos cum omnes tum Burmannus l. infra affer. et Lindemannus in Pomp. p. 465. praeterierunt, Bedam de Tropis p. 379. Capp.: Ergo ab animali ad animale fit sic, ut Typhin aurigam celeres fecere carinae; nam et auriga et gubernator animam habent“ et Joannem de Janua Part. IV. de Tropis V.: Thiphin aurigas sceleres fecere carine.“ Veteris poetae eum versum esse dixerunt Achilles Statius in Catull. LXIV. p. 232. et LXIII. p. 222. Dousa Nott. in Catull. cap. VI. p. 539. (et Plaut. Rud. I. 5. 10. p. 347. exempl. Blav.), Cerda in Virg. Aen. VI. 1. p. 599. B. Delrius in Senec. Med. 3. p. 454. Freinshemius in Flor. II. 2, 35. p. 243. Schefferus de Milit. Nav. I. 1. p. 2. Vechnerus Hellenolex. II. 11. p. 359. Vossius Inst. Orat. IV. 6. et qui hunc laudavit, Burmannus in Ovid. Trist. I. 4, 13. p. 470. Forcellinus Lex. IV. p. 324., incerti poetae Lindemannus in Pomp. et Donat. II. dd. Nos quidem non dubitamus, quin Apollonii locum illum I. 395: *(Αὐτὰρ ἐπεὶ τὰ ἕκαστα περιφραδέως ἀλέγυναν Κληῗδας μὲν πρῶτα πάλῳ διεμοιρήσαντο Ἄνδρ' ἐντυναμένω δοιὼ μίαν· ἐκ δ' ἄρα μέσσην Ἥιρεον Ἡρακλῆι καὶ ἡρώων ἄτερ ἄλλων Ἀγκαίῳ, Τεγέης ὅς ῥα πτολίεθρον ἔναιε. Τοῖς μέσσην οἴοισιν ἀπὸ κληῗδα λίποντο Αὔτως, οὔ τι πάλῳ·) ἐπὶ δ' ἔτρεπον αἰνήσαντες Τῖφυν ἐϋστείρης οἰήϊα νηὸς ἔρυσθαι* Varro his verbis transtulerit:

(Ergo jam cunctis perfectis ordine rebus
Sortiti remos pariter duo singula transtra
Implevere viri: medium excepere sedile
Amphitryoniadae magno praeque omnibus uni
Ancaeo, Tegees qui moenia celsa tenebat:
His solis liquere locum mediumque laborem
Ipsi ultro — non jam sortitu munia didunt —)
Tiphyn at aurigam celeris fecere carinae.

Faciendum enim omnino putavimus, ut et voculam at insereremus (quamvis non immemores Lucillii Anth. Pal. XI. 80.: *Ἆπιν· οὐδένα γὰρ πώποτ' ἐκεραυνώτισεν* conf. Jacobs. in Epigr. IX. 168. p. 488.) et id restitueremus, quod ante Burmannum Delrius et Dousa Freinshemiusque, Vechnerus ac Schefferus, nuper Forcellinus probaverunt, in ipso codice Neapolitano inventum sprevit Lindemannus not. 21. et 7. p. 161. sq. ille quidem in mentione gubernatoris ab ipsa Minerva electi parum solerter et commode illam fere consectatus sententiam, quae cum ab aliis multis tum a Psello usurpata est Opusc. p. 164.: *καὶ τὸν μὲν στρατιώτην ὁ πόλεμος δείκνυσιν, ἡ δὲ τρικυμία τὸν κυβερνήτην* vid. Boissonad. in Anecd. Vol. V. p. 139. et Psell. p. 336. Savaro in Sidon. Apollinar. Epist. X. 8. p. 523. sq conf. Claudian. IV Cons. Hon. 420: ille carinae — rector, variis quem saepe procellis Exploravit hiems.“ Verum jam reddam, quod paene praeterii; haec enim in eo versu sunt scribendo variata: Tiphyn] cod. Charis. Neap. Bed. Typhin. codd. Diomed. altero loco typhir, typhyi, typhys, altero typhyn, typhin. Januensis Thiphin. — aurigam] cod. Diomed. Paris. B et Monac. altero loco auriga. Januensis aurigas. — celeris] codd. Diomed. Donat. Pomp. Bed. celeres. Januensis sceleres. Cerda veteris, de quo errore aliqua dicentur, ubi explicabimus de Varii versu 2 ap. Macrob. Sat. VI. 2, 20. Weichert. p. 110. sq. celeris Delrius et quos supra nominavimus, quod ipsum in utroque Charisii loco exstare et Lindemannus testatur et Keilius p. 272, 13 et 24., quem sero — nec enim ad Diomedis locum eam mentionem vir doctus recoluit — animadverto idem atque nos hac significatione: „exemplum fortasse Varronis Atacini est cf. Apollon. Rhod. I. 401“ suspicatum esse, ut tamen nec de Beda aut Joanue de Janua commemoraret et explendis versus numeris deesset. — fecere] feceres. facere cod. Diomed. Paris. B.

facerae altero loco Paris. A. — carinae] carinā Charis. Exc. cod. Leid. carine Januens. Ceterum quum vocem vel nomini Varronis fraudi fuisse supra diximus constetque et voces vel et ut saepissime inter se confusas esse (Drakenborch. in Liv. XXXVI. 41, 2. p. 646. T. X.) et in Charisii codice pro literis vel scriptum legi ū (ut IV. p. 273, 3.: fratrem ū sororem“), pro literis velut ūū (Lindemann. Praef. p. XII.), nolo tamen de Charisii et Diomedis loco: „ab animali ad animale, sicut Tiphyn transtulit“ (conf. Bed.: fit sicut) sic pronuntiare, ut olim Varronis nomen arbitrer additum fuisse hoc modo: sicut Varro: perraro enim in illa parte grammaticos video (Charis. p. 277, 12.: ut apud Virgilium.“ Diomed. p. 461, 26. 32.) ipsa poetarum nomina usurpasse. Conf. Charis. p. 272, 16.: ab inanimali ad animale sicut: si tantum pectore robur concipis a ligno ad hominem transtulit.

Superest, ut de ea re videamus, cujus illustrandae gratia Varronis exemplum in medio proponi solitum est. Namque „iste gubernatorem aurigam dixit.“ Dixit autem ipsius Homeri sequutus exemplum. Auctorem profiteor Muretum Var. Lectt. I. 11. p. 22.: sed hoc quoque [genus, de quo sunt illa: volitantem flamine currum et classique immittit habenas], ut totum fere veteris eloquentiae choragium ab Homero est, qui primus aurigam navis pro gubernatore dixerat: *φθέγξατο δ' ἡνίοχος νηὸς κυανοπρώροιο*“ idemque (tantum enim valuit favor auctoritatisque praescriptae aestimatio) afferri video a Rittershusio in Oppian. Hal. I. 190. p. 185.: Homerus quoque *ἡνίοχον νηὸς* vocavit gubernatorem navis, quem imitatus Ovidius I Trist. aurigam dixit pro nauta “et a Dousa Schefferoque et Vechnero Hellenolex. II. 7. p. 326. At vero commenticiam rem et fictam arguit Wolfius, qui „Muretum, inquit, fefellit memoria. Non est talis versus apud Homerum. At bene dici *ἡνίοχον νεώς* non dubium monente etiam Polluce I. 98;“ arguerat antea, id quod Wolfium fugit, Gatakerus Adv. Misc. II. 7. p. 357.: versum poetae scriptum tamen nondum deprehendi.“ Nec indicarunt de eo versu, quorum commentaria evolvere nunc vacat, Valckenarius in Eurip. Hipp. 1223. p. 296. a. Merrickius et Wernickius in Tryphiod. 521. p. 412. sq. Hemsterhusius aliique in Steph. Thes. IV. p. 181. C. D. et 2049. C. Nitzschius in Hom. Od. IV. 708. p. 303. Itaque duo doctorum hominum cura et diligentia comperta sunt: *ἡνίοχον νεώς* alicubi inventum esse a Polluce l. d. p. 69: *κέκληται δὲ ὑπὸ ποιητῶν καὶ ἡνίοχος τῆς νεώς*, quod attulerunt Cerda, Delrius, Schefferus, Gatakerus, Wolfius; aurigam autem post Varronem Atacinum (de cujus versu non commemoravit Spaldingius in Quintilian. VIII. 6, 9. p. 306.) pro gubernatore posuisse Ovidium Trist. I. 4, 15.: „quo rapit impetus undae, Aurigam video vela dedisse vati,“ cui intenderunt praeter Rittershusium, Gatakerum, Valckenarium Vossius et Burmannus. Jam quum lateat, cujus potissimum poetae exemplum sequutus Varro ita scripserit, non temere tamen hic agnoscere videor expressum quoddam ejus consuetudinis, quae Alexandrinorum scriptorum propria fuit, vestigium nec dubito, quin judicio aberraverit Delrius l. d., qui „illud: Tiphyn aurigam celeris fecere carinae, si vera refert Pollux, e Graeca tragoedia fuisse expressum“ existimavit. Fidem nostrae sententiae addit Alexander Aetolus ap. Athen. VII. p. 283. A. Meinek. Anal. Aex. p. 240. sq.: *Πηδαλίῳ ἄκρῳ ἔπι πομπίλος ἡνιοχεύων Ἠστ' ἀκάτῳ κατόπισθε.* Cui subjungam Nonnum XXXVI. 407. p. 914, 1.: *Καὶ λύκος ἀκροτάτοιο δι' οἴδματος ἡνιοχεύων — Ἄβροχον ἡνιόχευεν ὁδοιπόρον ἅρμα θαλάσσης* et XL. 463. p. 1044, 4.: *Καὶ σχεδίης οἴηκα κυβερνητῆρα πορείης ὑγρῆς ἀτραπιτοῖο πολύστροφον ἡνιοχῆα Παντόθι δινεύοντες, ὅπῃ νόος ὕμέας ἕλκει, Δουρατέῳ κενεῶνι χαράξατε νῶτα θαλάσσης.*

Sed praeter spem spatium datur redeundi ad Lycaoniae Arcti mentionem, a qua exorsus sum. Quoniam enim ab Lindenbrogio Obss. Var. Lectt. in Lactant. l. d. p. 724. b. B haec scripta sunt: Referuntur in hanc rem versus Cretici ab Hygino, qui tamen in nullo cum hisce vestigiis conveniunt,“ non omittendum duco in Lactantii hoc loco p. 154. C.: „Quia Arctos Oceano non immergitur (mergitur

Monac. quart., quem codicem A dicere libet) positione cursus sphaerae (sperae A. currus sperae Monac. fol., quem dicam B.) circularis o. i. e. a. (o cod. B. om. A.) d. o. a. m. o. p. a. c. e. (p. o. e. e codd. A. B.) et *ιλοιποον οκεανος* (iaio poo nox ea noc cod. A. iaoi p — ea nox B) "latere illa Homeri verba Il. XVIII. 489.: *οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.* Et hunc quidem locum Peerlkampius diligentissimus Lactantii rimator non magis perpolivit, quam (in Virg. Aen. IV. p. 261.) eum, qui est in Theb. V. 163. p. 221. C.: „circumvolat umbra. et hoc poetice, ut Euripides Syrseen opersu," ubi in cod. B. nihil satis expresse legitur nisi hoc opersu, in cod. A. inveni siy seenopersu. Patet autem falli et Barthium, qui p. 107. T. III. „Euripidis verba perisse" existimat et Burmannum in Anth. Lat. VI. 90, 1. p. 642. dubitantem „an superstites in his verborum monstris sint voces loci Euripidei Alcest. 356., ubi haec Admetus defunctae Alcestidi: *ἐν δ' ὀνείρασι Φοιτῶσά μ' εὐφραίνοις ἄν. Ἡδὺ γὰρ φίλον Κἂν νυκτὶ λεύσσειν, ὅν τιν' ἂν παρῇ χρόνον,* ut *λεύσσειν ὅντιν' ἂν* lateat in corruptis istis verbis Syrseen oper su et *λεύσσειν, ὥσπερ ἂν* in suis codicibus legerit Lutatius." Namque ipsa Statii verba: matremque recens circumvolat umbra" (quibus consimilia leguntur in inscriptione Patavini lapidis ap. Malvas. Marm. Fels. X. 1. p. 586: Terra tegit carnem, tumulum circumvolat umbra "conf. Gevart. in Stat. Silv. II. p. 207.) memoriam afferunt Hecubae v. 30: *νῦν δ' ὑπὲρ μητρὸς φίλης Ἑκάβης ἀΐσσω σῶμ' ἐρημώσας ἐμόν,* ut appareat illis litteris involuta latere verba *ἀΐσσω σῶμ' ἐρημώσας.* Ad ejusdem Homeri autem versum Il. II. 729.: *καὶ Ἰθώμην κλωμακόεσσαν* spectant, quae extant in Theb. IV. 179. p. 170. B.: Montanaque) Sic Homerus epitheton pari significatu *καὶ τον ειχλον οχονπεαν* rectius sic prodita in Monacensibus codicibus: sic Homerus epitheto (epitheo B.) pari significavit *ΚΑΙΤΟΝΕ* (P. cod. A.) *ΝΚΛΟΝΟΚΟΝCΕΛΝ.*

Et haec quidem de Varrone Atacino percurrere libuit, postquam diem Tuum, Vir Spectatisime, summo collegarum gaudio et favore celebratum iri Wenschii, quem honoris caussa nomino, litteris humanissime scriptis compertum habui. Nec enim fieri potuit, quin doctissimorum virorum, quos Tu habes officii laboriosissimi et maximi socios et consortes, pietatem exoptatissimo festo operatam congratularer institueremque nostrae necessitudinis et grati animi adjicere testificationem si minus gravem et plenam, at incorruptam atque sinceram. Quod quidem feci scribendi rationem ingressus paulo aliam, quam quum ante hos viginti fere annos ortus Tuos Vitebergenses faustis ominibus prosequerer. Facile enim intellexi et auspicatius esse et Tuo nomine dignius disseri de Apollonio optimi cujusque gubernatoris laudatore, quam de eo poeta, de quo nunc ipsum nostrae scholae admonuerunt, illo quidem conquesto „jactata vela ac parietis laborem et venturae signa ruinae." Sed quod et congruentius huic tempori et reverentius, idem fateor atque adeo profiteor esse et jucundius et amantius. Hoc enim Tuae laudis et virtutis cogitatio effecit, ut ex ea ipsa studiorum materia aliqua delibarem, cujus aperiendae et tractandae subtilissimam et utilissimam curam habuit Spitznerus, perpurgandae ac secundum Weicherti exemplum vere recognoscendae gravissimus auctor et praeceptor extitit Goerlitzius. Quae nomina gratissimo animo persequi nunquam desinam. Itaque haec, Vir Optime, quae tamquam ex sapientissimae Vestrae disciplinae penetralibus repetita et cum suavissima praeclari exempli recordatione composita nunc proferre licuit, eodem, quo olim metatoriam illam paginam, cui nomen est Electorum Criticorum, dignare judicio meamque existimationem satis Tibi esse commendatam puta.